



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

2.4. Papa aut Princeps an legat. relicto usum mutare possit.

3. Schola causa est pia.

5. Legati applicatio impossibilis per Episcopum mutari potest.

CONSILIVM CCCCXI.

EX facto proponitur, quod A. testatrix suo testamento, in honorem sanctarum undecim millium Virginum, undecim puellis seu feminis adultis bonae reputationis, quae nunquam nupserunt, singulis legavit unum modium siliginis, & tres florenos annuos; sub conditione, quod simul in eadem domo ipsis assignata, & sub regula vivant: quarum puellarum nominationes pertinere voluit ad Dominam loci pro tempore. Mortua testatrice, quodque nulla regula praescripta aut declarata sit, cui dictae puellae seu feminae subesse debeant, nondum est impleta dicta testatrix fundatio; neque impletam iri magna est spes, praesertim quia in dicto loco nulla Domina resideat, neque verosimile sit, quod brevi residebit. Quaritur itaque, num hoc legatum pium, & in certam ac determinatam erogationem relicto, possit converti in alium pium usum; id in scholam scilicet puerorum, & sex choraulium, qui eodem loco divinum officium cum Presbyteris cantent, & interea etiam in literis instituantur?

Et sane principio dubitari poterat, ex eo, quod velut pro regula constitutum sit, *Clem. 2. §. 1. De relig. domib. ea*, quae ad certum usum largitione fidelium sunt destinata, ad eundem illum usum, & non ad alium debere converti, juxta illud, quod dixit Baldus, in *l. Si quis ad declinandam m. 9. C. De Episc. & cler.* quod ubicumque certa est dispositio testatoris respectu causae & loci, & causa ac locus est possibilis de jure ac facto, non possit ne per Episcopum quidem alterari dispositio, & ad alium usum, quamvis perinde, aut magis pium converti: unde relicta pro redemptione pauperum in eam tantum causam eroganda sunt, *l. penult. & eo loco Bald. C. De donat.* * Usque adeo ut idem Baldus responderit, *consil. 82. & 183. Factum proponitur vol. 1. ne ordinaria quidem & rationabili potestate Papa aut Principis id fieri posse: quia aequum non est morientium testamenta obtentu rescritti Principis rescindi, l. Si testamentum C. De testam. cum lex morientium ultimas voluntates pro lege habeat, §. disponat in Auth. de nupt.*

Ceterum licet generaliter ea regula obtineat, nulla tamen dubitatio est, quin de absoluta summi Pontificis auctoritate ei derogari possit: cum in omnibus hujuscemodi causis potestas illius exuberet; atque ita ad certum & pium usum relicto, in alium pium usum converti potest, ex permissione & auctoritate Pontificis, *d. Clem. 2. §. 1. Guido Papa decis. 556. Testator quidam, Castren. consil. 187. Super primo vol. 1. Panor. in c. Nos quidem sub fin. De testam.* * Cum itaque erectio scholae, & choraulium pauperum alimentatio atque institutio, pietatem magnam contineat, & causa studii in pauperibus (licet non in divitibus, *l. in l. 1. C. De sacros. Eccles. m. 35.*) pia reputetur, *Bart. in l. 1. ad fin. Solutio matrum. Tiraquell. in tract. de pia causa in*

praefat. nihil absurdi, neque rectae conscientiae repugnans, eveniet, si quod ad praedictum usum a testatore relicto est, ad hunc convertatur: cum etiam nulla subsistente causa, sine scrupulo conscientiae, permittente Papa, id fieri posse concedat Angelus de Clavasco in executiendis casibus conscientiae, in *Summa Ang. in dict. Legatum 2. n. 12.*

Quinimo in proposito casu, quia causa commutandi iusta est, & praetactum relicto per se tenet; neque alendis undecim feminis idoneum, liberis haec commutatio fieri potest; non tantum ex absoluta potestate Papa, *d. Clem. 2. aut Principis, l. Legatum De administ. rer. ad civit. pertim. sed etiam ex communi & ordinaria, & non tantum per Papam, verum etiam per Episcopum, l. fin. & ibi Bart. De oper. publ. Bart. in d. l. Legatum & in l. Viter §. Tusculanus De legat. 3. & in l. Legatum De usufructu leg. Eaque est perpetua & constans Theologorum, *Summa Ang. n. 12. Canonistarum, in d. Clement. 2. Panor. & Zabarell. in d. c. Nos quidem De testam. Bart. loco supracit. l. ud. Rom. sing. 481. Legatum factum, Guido Papa d. decis. 556. Aufser. decis. Tholos. 26. in addit. ac Legistarum, Bart. & alii locis supracit. Summa Ang. loco supracit. Io. de Imola in l. 1. De condit. instit. sententia.* * Et in proposito casu facilius procedit, ob id, quod testatrix declaraverit, quod velit dictas undecim feminas sub regula vivere, non declarata regula, neque indicato, cujus approbati Ordinis Ecclesiastici, vel secularis regulam illas sequi vellet. Ita ut aliqua ratione executio & applicatio in usum a testatrice praescriptum, de facto dici possit impossibilis; quo casu facilius ex consensu aut ordinatione Episcopi, per haeredem aut Executorem testamenti, in alium pium usum converti potest legatum, *d. c. Nos quidem, l. Legatum De usufructu leg. Concil. Trid. Sess. 25. de Reformat. c. 4. & c. 8.* Omnium tamen consensu est, ad omnes juris ac facti controversias in futurum cavendas ac removendas, omnemque scrupulum anxiae conscientiae removendum, rem pure ac simpliciter summo Pontifici narrari, ac permissionem conversionis ab eo impetrari; quae sine negotio & difficultate impetrari poterit; licet postmodum iudicio Episcopi denuo debeat subici, priusquam ad effectum perducatur, secundum novissimum Concilii Tridentini decretum, *Sess. 22. de Reformat. c. 6.**

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Legatum familiaribus domesticis.

1. Relato non apparente relatio nulla est.
2. Familiaris quis dicatur.
3. Familiaritas non requirit assiduam praesentiam.
4. Absens ultra commeatum improbabiliiter abest.
5. Prorogationis vis est, vi idem iudicium sit prorogatum quod antecedentis.
6. Absentia necessaria quae & quando excuset.
7. Absens militis causa pro praesente habetur.
8. Absentia excusatio semper fieri potest.

CONSILIVM CCCCXII.

ILLVSTRISSIMA Domina Maria Regina Hungariae, codicillis suis 27. Septembris anno 1558. in Oppido Cigales in Hispania inter alia hanc clausulam adiecit, *Je ordonne & laisse*

à mes Maistre d'hofiel, gentils hommes, officiers, & aydes d'offices, comptez par mes esclerz qui seront en mon service à l'heure de mon trespas, & à mes pensionnaires soient avecq moy au autre part (aults quelz particulièrement cy apres ne provoïs) les mesmes gaiges & pensions, que chascun d'eulx aurat eu de mon vivant, pour en iour leur vie durant; hoc est, Ordino & relinquo meis œconomo, nobilibus, officialibus & assistentibus pro familiaribus reputatis, qui in servitio meo erunt in hora mortis mee, & pensionariis meis, si apud me fuerint sive alibi (quibus particulariter postea non providero) easdem mercedes & pensiones, quas eorum singuli habuerint in vita mea, ut illis gaudeant, quamdiu viverint. Huius Illustrissimæ Dominae familiæ adscriptus fuit D. Thomas de Castre Dominus de Villargy, qui ex consensu dictæ Illustrissimæ Dominae ex Hispania in Belgium profectus, Serenissimo Regi Hispaniarum in Veromanduis bellam gerenti operam dedit; sed cum semestrem absentiam tantum impetrasset, & commodè interea revertendi occasio deesset, curavit id Illustrissimæ Dominae significari, petita longioris absentia licentia, eaque etiam satis evidenter impetrata: hoc solo excepto, quod Oeconomo suo mandaverit, ut Dominus Thomas libello familiæ adscriptus relinqueretur, sed tamen pensio, quæ prius in familia sua præsentia assignata erat deleteretur; eâ tamen spe, ut si reversus iustas absentia causas profferret, aliâ ratione id rependeret. Durante istâ absentia, præfata Serenissima Regina mense Octobri anno 1558. in Hispania moritur. Quæsitum est, an D. Thomas petendi legatum ex superscripta clausula jus habeat?

Difficultatem facit, non hoc præcipuè, quod abfuerit tempore mortis; sed quod eo tempore nullam pensionem habuerit; & quam prius, cum præsens in familia fuit, assignatam habuit, ex iussu D. Reginae Oeconomus deleverit: non enim simpliciter legatum est familiaribus; sed familiaribus habentibus pensionem; quia dixit se id cuique ex his ad vitam legare, quod pensionis aut stipendii nomine ab ea viva accipere quisque solebat: sic quod legati quantitas non specificè expressa, sed per relationem demonstrata, nulla sit, non apparente ipso relato, l. In testamento De cond. & demonst. Quemadmodum nulla est hæredis institutio, si testator scribat, Ex partibus, quas codicillis adscripsi, hæres esto; si in codicillis nulla est partium expressio, l. 2. in fine De hered. instur.

Verum longè alia est dictorum verborum potestas, quæ non permittit, neque propter absentiam, neque propter deletum stipendium, actionem legati Domino Thomæ denegari. * Nam quod ad primum attinet, absentiam scilicet, quamvis familiaris non rectè dicatur qui abest, quique eo tempore, quo de effectu familiaritatis quæritur, ipso actu & continuo non famulatur, seu in familia non est, c. Sicut De verb. sig. lib. 6. & ibi Ioan. Andr. etiam postea revertatur, Bald. in l. 1. nu. 4. C. De episc. & cleric. tamen secundum terminos propositi facti, familiarium appellatione verè continetur dictus Dominus Thomas; ob id potissimum, quod libello familiæ (quem Gallica voce esclerz vocant) adscriptus tunc adhuc fuerit; ex libellis enim familiæ maximè deprehendi solet,

Consil. Wamef. Tom. II.

quis familiaris sit, quis non, l. Servus urbanis De leg. 3. l. Urbana De verb. signific. * & ad familiaritatem retinendam, seu continuandam, non requiritur assidua præsentia, sed ejus, cujus est familia, destinatio ac voluntas; ita ut alicujus temporis absentia aut peregrinatio, ex iussu aut consensu patrisfamilias, nihil immutet, l. Prædia maritima §. 1. De fundo instr. legato: sed quocumque loco degens, ex voluntate Domini familiariter habitare dicatur: huiusmodi enim patientia ac consensus loco servitii patrisfamilias impeni habetur, late Lud. Gomef. ad reg. cancell. de impet. benef. vac. per ob. fam. Card. quest. 13. n. 8. ad quem remissis hio sufficiat. Quibus consonant expressa verba dictæ clausulæ, Soyent avecq moy ou aultre part &c. hoc est, sive mecum sint, sive alibi; quasi scilicet Domina testatrix non præsentia aut absentia, sed libelli rationem haberi voluerit; ut iure familiaritatis censeretur, quisquis libello inscriptus esset, non quisquis famulando atque inserviando tempore mortis ei adfuturus esset: ideoque etiam alios, qui famularus & obsequii causa ex Flandria per eam abducti, familiæ adscripti non erant, ad hoc legato excludit.

Neque quicquam facit, quod temporalis tantum fuerit absentia permissio, & eam D. Thomas excesserit, & excedendo pro eo habendus sit, atque si sine comiteatu ac licentia abfuerit, l. 3. §. si ad diem, l. Qui comiteatus De re milit. quo casu familiaritas amittitur, etiam postea absens revertatur, Bald. in d. l. 1. nu. 4. * Nam cum constet de huius quoque posterioris temporis prorogatione, perinde dicendum est de tempore secuto, quod de priore semestri, ex virtute prorogationis, Doct. in l. Testa si cert. per. Canonista in c. De causis De off. deleg. 1a. in l. 1. C. De ind. viduit. tollen. præsertim quia excessus ex necessaria & licita causa intervenierit. * Necessaria quidem, propter hyemis & navigationis pericula; quæ militem ultra tempora comiteatus emanentem excusant, d. l. 3. §. si ad diem; & absentem reipublicæ causâ haberi faciunt eum, qui functo officio, ob quod reipublicæ causâ aberat; statim non revertitur, l. Si cui §. tam diu Ex quib. caus. maior &c. * Licita verò, quod belli causâ absens pro præsentia haberi debeat; non tantum quoad damnum vitandum, verum etiam ad adventitium oblatumque lucrum captandum. Vnde ad casum propositum appositissimè respondit Iulianus, in l. si quis Titio legaverit Ex quib. caus. maior. Legatum Titio relictum, si mortis testatoris tempore in Italia esset, deberi, si Titius reipubl. causa per id tempus absens fuerit.

Quod ad alterum attinet, nullum quoque impedimentum petitioni huius legati facit stipendii deletio: primo ex eo, quod D. Testatrix non ad tempus mortis suæ in genere vel specie se suamque voluntatem præcisè restrinxerit; sed generaliter & indefinitè dixerit. Que chascun d'eulx aurat eu en mon vivant, hoc est, quas illorum singuli habuerint in vita mea; complexa videlicet omne vitæ suæ tempus. Sic quod satis sit constare de relato, & ex eo deprehendi posse pensionis certum modum seu quantitatem, d. l. In testamento De cond. & demonst. quia familiaritas sola relatâ atque restrictâ est ad tempus mortis, non pensionis seu stipendii

Y 3

quantitas;

quantitas: ita ut hinc in constituenda quantitate legati inquirendum sit, quanta fuerit illa pensio, quæ deleta dicitur. Secundò, quòd huiusmodi deletio, uti ex proposito facto apparet, non fuerit vera & propria semel assignati stipendii revocatio; sed tantum suspensio temporalis; eaque adhuc conditionalis, pendens ab arbitrio & discretione testatrix; prout causa longioris absentia ei vel probarentur, vel improbarentur. Et quamvis huiusmodi approbatio secuta non fuerit; nocere tamen id non debet: ob id, quod ex morte D. testatrix præcepta fuerit D. Thomæ occasio docendi de iustitia & probabilitate suæ absentia. * Cujus excusationis faciendæ potestas, ne in damno versetur, & ex legitima absentia laedatur, etiam nunc D. Thomæ permittenda est, d. l. 3. §. si ad diem, d. l. si cui §. tam diu Ex quib. caus. maiores &c. Aliorum itaque præconulentium resolutioni, quam per præmissa amplificamus, adhaerentes; existimamus bono jure subnixam esse petitionem D. Thomæ, quoad prædictum legatum.

De Testamentis.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

Legatum Ecclesiæ.

1. Monachus an sit idoneus testis in testamento.
2. Testibus instrumentariis, an instrumentum standum sit.
3. Legatum Ecclesiæ cui debeatur.

CONSILIUM CCCCXIV.

EXTRA dubitationem est intentio Domini Pastoris, & Custodis Parochialis Ecclesiæ de Outheverle, Agentium, contra Mamburnos seu Magistros fabricæ ejusdem Ecclesiæ, Opponentes, ad adjudicationem sextarii, seu duorum halstariorum frumenti: quippe fundata in claro & liquido Notariali instrumento per D. Ægidium Nobenum Notarium publicum confecto, & in formam redacto; quod dicti Opponentes bonâ fide ambulando apertè recognoverunt; recognitâ etiam dicti D. Ægidii qualitate Notariali. * Quo quidem instrumento continetur testamentum, seu ultima voluntas, quod seu quam Ægidius Mathys Parochianus dicti loci de Outheverle in pestilenti morbo, ex quo etiam decessit, condidit, & nuncupavit in præsentia dicti Domini Ægidii Notarii, adhibitis & rogatis ad hoc Fratrem Wilhelmo Loys, F. Ludoco Wolffs, & F. Ioanne van Berthem, cum Patre Monasterii Cellitarum Oppidi Lovanienfis: qui etsi sint Monachi (qui in multis juris partibus servis assimilantur) ex receptiore tamen Interpretum sententia testamentis & ultimis voluntatibus testes adhiberi possunt, lason in l. Hac consultiſſima C. De testam. cum nusquam inveniat eorum testimonium prohibitum, Glossa in verb. cogitandum, in Authent. de Monach. Pres. Viglius in §. testes autem, nu. 12. Inst. De testam. ordina. Prout etiam dicti Opponentes ex ea parte hoc testamentum seu legatum non oppugnant, sed perinde, ut Actores, illud asserunt; tundantes ex eo contrariam suam conclusionem, quâ contendunt sibi adjudicandam, & illius dispensationem permittendam esse;

sub prætextu, quòd aliter per dictum testatorem dictum seu nuncupatum fuerit, quam per Notarium scriptum; hoc est quòd dictus testator prædictum sextarium legaverit prædictæ Ecclesiæ ad faciendum anniversarium pro salute animæ suæ, necnon uxoris suæ; non verò, ut Actores prætendunt, & scriptura dicti instrumenti apertè continet, legaverit Pastori & Custodi dictæ Ecclesiæ pro prædicto anniversario; ideoque sequendum esse non quod scriptum, sed quod nuncupatum fuit, l. Errore C. De testam. Caterùm ea in parte probatione desistuntur Opponentes, nec ex testimoniis, quæ super hoc recepta sunt, id probatum invenitur; sed potius contrarium in conformitatem scripturæ dicti testamenti. Nam præfatus Frater Wilhelmus Loys apertè testificatur, testatorem dixisse, quòd sextarium legaret dictæ Ecclesiæ pro Pastore & Custode pro anniversario celebrando, pro sua & uxoris suæ anima. Et quamvis dictus Frater sudocus Wolffs deponat, testatorem dixisse, Ego lego Ecclesiæ sextarium frumenti pro meo, & uxoris meæ anniversario, non nominando Custodem aut Pastorem; postea tamen subicit, quòd se referat ad ea, quæ dictus Notarius tunc scripsit; per hoc satis memoriæ suæ labilitatem significando, non contra tenorem dicti testamenti præcisè deponendo. * Cum alioqui uno solo teste instrumentario tenori instrumenti contradicente, alio teste, seu aliis testibus adhibitis cum eodem tenore concordantibus, standum omnino sit ipsi instrumento publico, non uni soli testi contradicenti, Dolt. in c. Cum Ioannes De fide instrum. & de eo neminem dubitare scribit Iacobus Menochius, de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 2. c. 105. nu. 36.

Sed etsi constaret testatorem legasse hoc sextarium Ecclesiæ de Outheverle, non possent Opponentes illud, aut illius dispensationem seu distributionem sibi vindicare: quia legatum non posset dici fabricæ Ecclesiæ, cujus solius, non etiam ipsius Ecclesiæ simpliciter & universaliter Mamburni & Magistri sunt dicti Opponentes; ut formaliter etiam allegaverunt: legatum autem & relictum Ecclesiæ simpliciter, non illius fabricæ debetur, sed ejus Rectori, Paul. Parisius cons. 50. Testamentum nu. 25. vol. 2. Ruinus vol. 2. consil. 202. Viso testamento; qui Ecclesiæ proprietatem habere dicitur, Panor. in c. Cum super nu. 20. in fine De caus. poss. & propriet. Nam quod templo legatur, jure proprietatis apud templum manet; utilitas verò & ministerium illius ei debetur, qui illius sacerdos seu Rector est, Elegans rex. in l. Annua §. Arria De annuis leg. can. Pontifices xii. q. 3. Quod ipsum proclivius hinc dicendum est ex fine hujus legati, quod scriptum est pro dicto anniversario celebrando: in cujus celebratione nulla possunt esse partes dictorum Mamburnorum seu Magistrorum dictæ fabricæ; sed tantum Pastoris & Custodis. Ita ut ex fine, & destinatione hujus legati, indubitatum sit, testatorem voluisse id pertinere ad Pastorem & Custodem; nullasque ob id in eo esse partes dictorum Magistrorum, qui ambitiosius illius dispensationem sibi usurpare videntur. Ideoque partes Venerabilis Domini Officialis sunt in adjudicando hoc legato Actoribus hujus